

Pri. 29. num. 14. 9. 11. 13.

17
1718, 9.
DISSE^TATIONEM IVRIDICAM
DE
AFFECTV PATERNO
VITRICI
OCCASIONE LEG. XV. C. DE NEG. GEST.
CONSENSV
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
P R A E S I D E
D. IO. FRIDER. OLEARIO P.P.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SUBMITTIT

A. S. R.

JOANNES GOTTLIEB GLASER

N. P. C. SOR. LVS.

AD D. XVII. MAI. ANN. M DCC XVIII.

L I P S I A E
LITERIS IMMANVELIS TITIL.



ANNO
ILLVSTRISSIMO ATQVE CELSISSIMO
COMITI AC DOMINO
DOMINO
E R D M A N N O
SACRI ROMANI IMPERII COMITI
DE
P R O M N I T Z
L I B E R O B A R O N I
DYNASTIARVM PLESSENSIS SORAVIENSIS
TRIBELLENSIS ET NAVMBVRGENSIS DOMINO IN
DREHNA KLITSCHDORFF KREPPELHOFF IAENOWITZ
ET OELSNITZ HAEREDITARIO IN HALBAV
KVHNAV ET BVHRAV
COMITI ET DOMINO SVO
CLEMENTISSIMO
MAECENATI INDVLGENTISSIMO.

COMES ILLVSTRISSIME
DOMINE GRATIOSISSIME.



*Vita sane insignis Clementia
TVAE vestigia, dum pau-
lo accuratus vita mea cur-
riculum attendo, reperiun-
tur. TIBI enim Compatriis
officium ex Summa Gratia in
TE suscipere, atque sic pro fa-
lute mea Curam quasi Patri-
am ab incunabilis statim ge-
rere placuit. Post obitum Genitoris mei, quem DO-
MVSTVACEL.SISSIMA variis iisdemque maxi-
mis obruere non deditnata est beneficiis, tutoris instar
mei adhuc impuberis educationem multis modis promo-
vere sollicitus fuisti. Quo factum est, ut nontantum, qua
vocant Humaniora, sed & altiora studia non infelici-
ter pertractaverim. Neutquam igitur temeritatis
argui poterit hoc institutum, quod aequitas & justitia
jam diu a me flagitarunt, scilicet, ut segetem hanc lit-
terariam TIBI, GRATIOSISSIME DOMINE,*
sub-

submissa animi devotione offeram. Sicut enim omnia
mea Studia meque ipsum TIBI penitus consecrare de-
bui, ita quoque officii ratio postularavit, ut nomen CEL-
SITVDINIS TVAE primitius hisce Academicis in-
scriberetur. Illa tamen, ceu suspicor, si tanti non-
dum esse videantur momenti, ut opinioni de mea te-
nacitate concepta aliquatenus satisfaciant; nihilominus
fidem meam obstringo, fore, ut virium mearum imbe-
cillitate cum DEO & die magis magisque correcta,
successu temporis Patria pro virili inservire valeam.
Veniam autem dabis, CLEMENTISSIME DO-
MINE, quod tantum hic usus fuerim audacia. Ceterum
Deum precibus ex calidissimo pectore desumtis veneror,
velit TE, ILLVSTRISSIME COMES, cum tota
CELSISSIMA GENTE TVA perpetuo salvum at-
que in columem conservare! Cui voto ut DEVIS annu-
at, mecum omnes fideles Subditi TVI animitus ex-
optant.

ILLVSTRISSIMAE TVAE CEL- SITVDINIS

Lipf. d. 17. Maii
1718.

devotissimus subditus
IOAN. GOTTLIEB GLASER.



INGRESSVS.

TRITUM & pervulgatum omnino est: *Quod quilibet tamdiu bonus presumatur, donec probetur contrarium.* Quod non tantum in causis civilibus sed & criminalibus saepius applicari vides. Inde sponte sua sequitur, non esse presumendum, quod quis dolose aliquid fecerit, ita, ut illi, qui dolum alteri imputare satagit, probatio incumbat. *L. 18. §. 1. ff de Probat. L. 6. C. de Dol. Mal.* Quæ presumtio bonitatis potissimum in personis arcto necessitudinis vinculo conjunctis elucescit, ut scilicet propensiore affectu se invicem complecti existi-

A men-

mentur. Sic enim non tantum pater bonus esse liberosque suos sincero amore prosequi præsumitur; Sed quoque eadem bonitatis præsumtio in persona matris conspicua est, ut hoc respectu mater & avia ad tutelam legitimam liberorum suorum admittantur, & omnibus reliquis cognatis præferantur. *Nov. 118. c. 5.* Nec denique Vitricis hæc bonitatis præsumtio abjudicanda est, cum leges eisdem affectum quoque paternum tribuant. Lucleum hac ex parte testimonium in *Leg. 15. C. de Neg. Gest.* deprehenditur. Quæ lex nobis calcaria addidit, ut in præsenti dissertatione: *De Paterno Affectu Vitrici*, animi sensa aperiremus. Ut autem scopum nobis præfixum obtineamus, hac methodo uti licebit, ut in *CAP. I.* Legis explicatio suscipiatur; in *CAP. II.* Casus proponantur, in quibus Vitrici Affectus Paternus conspicuus fiat, & denique in *CAP. III.* ostendere satagamus, quando præsumtio Affectus Paterni cesset. Faxit sumnum Numen, ut hic labor noster ex animi sententia succedat!

DIS-

DISSE^TRATI^O
DE
AFFECTV PATERNO
VITRICI.

Occas. Leg. XV. C. de Neg. Gest.

CAPVT I.

LEGIS EXPLICATIONEM SISTIT.

I.

Vllus affectus est, qui vincit paternum, Paternus Af-
gravissime pronunciavit Justinianus in *seccns predi-
catur.*
L. 7. pr. C. de Curat. Furios. Quapropter
jura quacunque occasione paternum af-
fectum extollunt, & optima quæque de
eodem præsumunt. Hinc Pater opti-
mum consilium pro liberis suis capere creditur in l. 2. §.
4. fl. Ad Leg. Jul. d. Adult. ita ut omnia confilia ejus ad fa-
lutem liberorum suorum promovendam tendant. Quæ
tenerrimi affectus præsumtio in parentibus tanta est, ut
pater & filius pro una quodammodo persona habeantur.
Vox enim patris tanquam vox filii est, & filii vox tanquam
patris intelligitur. §. 4. in fin. J. d. Inuicil. Stipulat. L fin. C.
in fin. de Impub. & aliis substit. Imo filius veluti portio
patris est juxta Aristotelem I. Magn. Moral. 34. Quid
mirum igitur, parentes in primis adversa liberorum suo-
rum fortuna affligi, ut animum despondeant? Pro affectu

A 2 eniv

enim, inquit Paulus, parentes magis in liberis terrentur, quam in se metipsis. L. 8. §. f. ff. Quod mer. caus. Vtrum autem paternus affectus etiam Vitrico sit tribuendus, ex multis rationibus dubitari posse videtur. Notatu digna sunt verba, quibus usus fuit Cicer. pro Client. Cum nubat in familia lucrum, atque in privignorum funus. Vt cunque sit, ipsa Leges Vitrico paternum affectum tribuunt, quod Leg. 15. C. de Neg. Gesl. satis comprobari potest. Quos effectus igitur Paternus Vitrici Affectus producat, occasione hujus Legis demonstrare annitemur. Verba autem ita concepta sunt:

Imp. Gord. A. Eutychiano.

Si Paterno affectu privignas tuas aluisti, seu mercedes probis aliquas Magistris expendisti: ejus erogationis tibi nulla repetitio est. Quod si ut repetitur ea, que in sumptum misisti, aliquid erogasti, negotiorum gestorum tibi intentanda est actio. PP. VI. Id. Jul. Gordiano A. & Aviola Coss. 240.

*Externa Legis
explicantur.*

II. Legis nostrae auctor est Imperator Gordianus. Quicquid de hoc Imperatore notatu dignum sit, hoc in Compendio retulit Praeses in Dissert. de Rei Vindicat. non competit alter. cuj. Pec. res aquis. fuit. Occas. L. 6. C. de R. V. §. 4. Plures alias leges dicto anno 240. ab Imperatore nostro sub eadem inscriptione atque subscriptione sanctitas fuisse meminit Freymon. in Symphon. Leg. Jur. Utr. Chronol. p. 692. 93. Hoc rescriptum autem nostrum directum est ad Eutychianum, qui questionem Imperatori discutiendam proposuit. In legibus Codicis alios quoque sub nomine Eutychiani inclaruisse, erudite explicavit Jacob. Gothofred. Comment. Cod. Theodos. in Prosopograph. voce: Eutychianus. Eutychiani cuiusdam mentionem quoque faciunt l. 19. C. de Nupt. & l. 10. C. de Fund. Patrim. Qui

Præ-

Præfectorus Prætorio & Consul fuit, nec cum nostro Eutychiano confundendus est.

III. Ut autem sensus Legis nostra recte explanetur, Quid per paternum affectum intelligatur.

haud abs re fore putamus, ut paucis verborum explicacionem in nos suscipiamus. Statim ab initio Legis Vitrico

a Legislatore Paternus *Affectus* tribuitur. Affectus itaque paternus hoc loco denotat amorem & benevolentiam pa-

ternam, qua vitrici privignos complecti existimantur.

conf. Kestner. d. Pietat. in Jure §. 4. Interdum in jure vox:

Affectus, præter notas significationes accipitur pro liberis.

l. 26. C. Theodos. de Decur. Conf. Capitolin. in Gordian. Affe-

ctus suos, inquit, unice dilexit filium & nepotem ultra morem.

Pontifici, affectum, beneficium appellant, ad quod ex præ-

sentatione jus habemus. Gloss. in c. 5. d. Concess. Prebend. in

6. verb. *Affectum*. Vti autem nostra Lex ad paternum af-

fectum respexit; ita in aliis juris textibus paterni officii

mémentio fit, quo respectu paterni officii esse dicitur, ut quis

dotem det pro sua progenie. l. fin. C. de Dotis Promiss. Hic

tamen differentia est observanda; cum enim in cit. l. fin.

Dos paterni officii esse dicatur, patri ex Juris necessitate

hoc incumbit. l. 19. ff. de R. N. ita ut ad dotationem officio

judicis compelli poscit. Carpz. P. 2. C. 42. d. 12. Cum e diver-

so in nostra Lege Vitricus non ex necessitate, sed ex mera

benevolentia atque pietate alimenta privignis submini-

stret. conf. Dn. Kestner. *Dissert. d. Pietat. in Jure. §. 4.* Hinc

Vitricum quasi Vetricum, V. in P. Patricum, dictum pu-

tant, quod instar patris sit, & fide atque amore comple-

ctatur privignum patrio. Conf. Dn. Lauterbach. d. Sin-

gul. Affin. Jur. P. 2. cap. 2. §. 9. *Disput. Jurid. Tubing.*

Vol. 4.

Vox Privigno-
rum explica-
tor.

IV. Qui affectus Vitrici paternus conspicuus fit in persona *Privignarum*. Privigni autem dicuntur, quod, antequam mater ad secundas nuptias transfiret, progenitii suerint ex marito priori. Fabri *Thesaur. Erudit. Scholast.* Voce: *Privignus*. Imo sub voce privignæ non solum ea intelligitur, quæ uxorii filia est, sed quoque neptis & proneptis. l.14 §.fin. ff. d. *Ritu Nupt.* Ita ut quoque Lex nostra ad easdem applicari posit. Conf. Schardii *Lexic. Jurid.* voce: *Privigna*.

De voce: Alu-
isse, agitur.

V. Dicitur in Lege nostra: Vitricum *aluisse* privignas. Quid sub voce alimentorum intelligatur, neminem latere potest. Enimvero comprehenduntur omnia ad vivendum necessaria. l.43. ff. de V. S. ut Cibaria, vestitus & habitatio. l.6. ff. d. *Aliment. vel Cibar. legat.* Nec minus medicamenta, salario Medicorum, quatenus vita conservationi conducunt, hoc spectant. Riminald. l.2. Conf. 132. n.9. seqq. Hug. Donell. Comment. Jur. Civ. l.12. c.3. p.20. Sub alimentorum igitur nomine hac Lege quoque omnia comprehenduntur, quæ Germanico idiomate exprimuntur: *Lebens-Mittel, Nahrung.* l.6. Neque impensæ funebres hic excludenda sunt. l.37. ff. de Relig. Conf. Dn. Simon. in *Differ. d. Denegat. Alim. Th.2.*

Quo sensu
Merce Magi-
stris sit pra-
fanda.

VI. Lex quoque nostra ad sumitus pietatis causa a vitrico factos refert *mercedem* pro privignis *Magistris* expensam. Distinguitur igitur expressis legis verbis ab Alimentis. Neminem autem latere potest, a DD. ultro citroque ancipiti Marte disputari, utrum sumitus studiorum causa impensi inter alimenta sint referendi, nec non ad artem addiscendam necessarii. Nobis distingue re liebit inter alimenta ex jure sanguinis debita, & inter ea, quæ ex

ex testamento vel quacunque alia ultima voluntate sunt
præstanta. Illo casu, alimentis ex jure sanguinis debitiss,
comprehenduntur omnino sumptus studiorum. l.4. ff. *Vbi*
Pupill. educar. l.6. §.5. ff. de Carbon. Edict. Neutquam vero
posteriore casu. l.6. ff. d. Alim, vel Cib. Legat. Lauterb. Col-
leg. Præct. c.t. Th.5. Dn. Schœppfer. *Synopt. Jur. Privat.*
Tit. d. Alim. vel Cibar. legat. Dn. Hildebrand. *Dissert. d. Ob-*
lig. int̄r Patr. & Fil. Cap. 2. Th.1. Alexand. Trentacinq.
l.1. d. Alim. Var. Res. I. n. 27. Nisi aliud testatorem sensisse
probetur. l.7. ff. de Aliment. vel Cibar. legat. Dn. Mencken.
Tract. Synopt. Pand. c. T. p. 432. Stryk. d. Caut. *Testam. c. 20.*
§.21. Schard. Lexic. Jurid. sub voce: *Alimentorum.* Quid
autem nostra lex per mercedem Magistris præstitam in-
telligat, paucis explicandum est. *Merces* igitur hic pro
laboris præmio accipitur, quod stipendii instar a Vitrico
iis solvitur, qui privignas bonis scientiis atque artibus in-
struere haud designati fuerunt. Vti hoc ex Varrone
erudite explicat Coras. *Miscell. l.2. c. 11.* Qua mercedes
appellantur *rā dīdēlēa*, & liberalium artium Præceptoribus
præstantur. l.12. §.3. ff. de Admin. *Tut. l.4. ff. Vbi pupill.*
educ. l.1. pr. ff. d. Extraord. Cognit. Cui explicationi in-
servit Juvenal. *Satyr. 7.*

Scire volunt omnes, mercedem solvere nemo:
Mercedem appellas, quid enim scio? Culpa docentis

Arguitur

Alias Latinis istas mercedes Minerval appellare moris est.
Tertull. in Lib. d. *Idololat.* Denique vox: *Magistri*, hic
eum significat, cuius auctoritatem & exemplum sequi-
mur, vel cui rei alicujus præcipua cura incumbit, ita ut
cuiuslibet disciplinæ Præceptores Magistros appellari a

mo-

monendo vel monstrando constet ex *L. 57. ff. de V.S.* In quo significatu vocabulum Magistri in Jure adhibetur, solide explicuit Schard. *Lexic. Jurid.* voce: *Magister*. Qua occasione Baldus monet, legem de istiusmodi Magistris loqui, qui artem sexui congruentem docuerunt, *Conf. L. 12. ff. d. Legat. 3.* Olim vero sexus sequioris persona liberalibus artibus & in primis Grammatica instruta fuerunt juxta *Gloss. ff. Vbi Pupill. educar.* Salicet ad nostram *L. 15.*

*Qua ratione
voces: erogati-
onis repetitio,
fint accipien-
da.*

VII. Cum igitur a Vitrico Magistris quid præstitum fuerit, ut bonis arribus privignæ instruerentur, ejus erogationis nulla repetitio est. Vocabulum: *erogare*, interdum in Jure significat idem ac præstare. *L. 32. §. 6 ff. de Ad-
min. & Peric. Tur.* Nec minus per Codicillos erogari, id est, dari se uerlinqui dicitur in *L. 4. ff. de Leg. Corn. d. Fals.* In nostra autem lege idem denotat ac impendere, distri-
bueri; aufwenden, ausgeben. *Conf. L. 22. §. 2. ff. de Legat. 1.* *Vbi* Paulus inquit: *Nihil ex testamento videtur capere, qui tantum erogat, quantum accepit.* Ita quoque vox: *Ero-
gationis*, eodem gaudet significatu: *Eine Ausgabe.* Quo fensi erogationis in honorem filii factæ mentio fit apud Scævolam in *L. f. ff. d. Hered. Petit.* Nec vox *repetitionis* hoc loco difficultatem aliquam excitare potest; nemini-
nam enim latet, repetere idem esse, ac restituendum pe-
tere. Plane diversum significatum vox *repetitionis* in causa Legatorum involvit, ut erudite explicavit Schard. *in Lexic. Jurid.* voce: *Repetitio.*

*Divisio legis
& sensus fili-
tur.*

VIII. Reliqua vocabula satis perspicua sunt, ut tæ-
diosa eorum explicatione facile supersedere liceat. Di-
viditur autem lex in duas partes. Prima agitur: *Quando
vitri-*

Vitricus sumtus fecerit animo non repetendi; altera vero parte: Cum animo repetendi tale quid factum fuerit. Salicet. add. l. 15. n. 1. Ita ut sensus ejusdem ita exprimi possit: *Vitricus Paterno affectu quid impendens in alimenta privagnarum, vel ut bonis artibus illae instruerentur, id non repetit, nisi repetendi animo hoc factum fuerit.*

IX. Rationem ipsa lex nobis luculenter prodidit, *In Legis Ratiorum inquiritur.* cum dictos sumtus paterno affectui inter accepta referat, qui in vitricis presumuntur, cum eis privigni & privignarum liberorum loco. l. 40. ff. d. Rit. Nupt. Gothofred. in Not. ad l. nostram lit. n. & hæc affectio quasi paterna impediat actionem Negotiorum gestorum. Salicet. d. l. quia animum donandi vitricus videtur habere. Enimvero animo donandi impendisse censetur is, qui pietatis, charitatis aut amicitiaz officio fungens sumtus fecit. Hinc si pater vel mater filii negotia gesserint, non habent contrariam actionem, quia pietatis intuitu gessisse creduntur. l. II. 15. C. de Neg. Geſt. Nec huic sententia obstat l. 34. ff. d. Neg. Geſt. In cuius legis specie hæredes aviaz alimenta nepoti praestita reputant & compensant. Ast vero si accuratius ad dictam legem attendas, elucescit, tales circumstantias presupponi, quæ præsumptionem pietatis & donandi animum plane elidunt, uti egregie hoc explicavit Wissenbach. ad Cod. Tit. d. Neg. Geſt. §. 1. j. Sichard. Cod. ad l. I. § 15. cit. tit. n. 12. conf. Dn. Thomas. Diff. d. Pietat. Ver. c. 12. §. 18. Nec denique legi nostra vulgata juris regula opponi potest: Ea, quæ utiliter impenduntur alterius gratia, posse repeti. Sichard. c. l. Licit igitur hoc in regula verum sit, in lege autem nostra singulare quid occurrit, ita ut sit casus exceptus a regula. Ratio autem

B

autem

autem est affectus paternus, de quo supra jam mentionem fecimus.

*In Vitrico
præsumtio pi-
etatis locum
habet.*

X. Cum hac ratione de sensu legis satis superque constet; hic omnino notandum venit, eum, qui pietate motus alteri beneficium impensis constans præstiterit, nulla actione sumitus illos repetere posse. Enimvero, quæ ex officio pietatis exhibentur, præsumuntur animo donandi fieri. Ita vero actio negotiorum gestorum plane cessare videtur, cum absentium & ignorantium negotia affectione coacti ut plurimum gerere soleant homines juxta Ulpianum in l.3. §.9. ff. de Negot. Gest. Sed hic nobis distinguendum erit, aut enim quis ejus negotia expedienda suscipit, cui præter communem naturæ cognationem non est obstrictus, aut vero arctius quoddam vinculum in negotiorum gestore se exserit. Priori casu nullum dubium supereat, quo minus negotiorum gestori actionem tribuamus, cum e diverso aliter sit sentendum, ubi peculiare pietatis vinculum accedit, cum donandianimus inter personas conjunctas in dubio sit præsumendus. Conf. Dn. Thomas. *Diss. d. Ver. Pietat. Jurid. C. 2. §. 16. 17.* *seqq.* Casus autem plures, quando præsumtio pietatis se exserat, proponit Dn. Thomas. *cit. loc. Perez. ad Cod. Tit. d. Neg. Gest. Huber. Prælect. Jur. ad Pand. c. 1. §. 3.* Vestigiis legis nostræ inhærentes idem quoque de Vitrico statuendum est, qui propter sumitus affectu paterno, id est, pietate erogatos actionem eo nomine instituere nequit. Bachov. ad Treutler. *Vol. 1. Diss. 10. thes. 3. lit. C.* Licit autem Dn. Thomas. *cit. Diss. §. 27.* de pietate Vitrici hac ex parte dubitare velit; sumus, inquit, *hoc casu Cartesiani, dubitamus.* *Imo quod pace differ-*

dissentientium dictum sit, egregium specimen male interpretationis hic adesse putamus. Ait vero nulla ratio ne elucefecit, cur textui nostro vis inferatur, cum Pietatem vitrici inde eliciamus. Nec particula conditionalis: *Si*, alium sensum juxta dicti celeberrimi JCti hypothesin inferre potest. Imperator enim supplicanti ad casum propositum respondit, & uti quæstio formata est, satis luculenter decidit.

XI. Recte igitur distinxit Baldus, utrum vitri- *Juxta Bal-*
cus impenderit quasi pater, an ut negotiorum gestor dum distin-
guendum est. in rem privigni. conf. Mornac. *ad Leg. nostram.* Quamvis enim facile concedere possimus, stricto jure ad alimenta Vitricum non obligari. *I. 3. §. 7. ff. d. Muner.* Dn. Thomas. *cit. loc.* inde tamen non sequitur, in Vitrico paternum animum & omnem præsumptionem pietatis exulare. Hoc enim quoque casu distinguimus inter obligationem plenam & minus plenam. Hæc igitur nititur virtute & pietate. *I. 25. §. 11. ff. d. Hered. Petir.* ita ut non juris nec legis, sed pudoris vinculo contineatur. Senec. *I. 1. d. Benefic. cap. 6. §. 7. conf. Dn. Kestner. d. Pietat. in Jur. §. 4.* Brunnem. *ad I. 15. C. d. Neg. Gest. n. 1.*

XII. Neutquam ex dictis rationibus ad stipulari pos- *Verba: pater-*
sumus Brunnemanno ad nostram L. 15. ubi contra Ba- *no affectu, ex-*
chovium disputat; enimvero verba: Paterno Affectu, ita addita fu-
non limitandi, sed potius explicandi gratia adjecta fu-
erunt. Diff. Dn. Berger. Animadvers. in Brunnemann.
Quæst. ad Pand. L. 3. t. 5. ad quæst. 20. Nec Brunne-
manni ratio sufficit, cum auctoritate Glossæ de Vitri-

corum affectu male præsumat. Lex nostra perspicuis verbis nos aliud docet, cum paternum affectum in Vitrico prædicet. Nec denique legis posteriora verba: *ut repetiturus misisti*, captanda sunt, quippe quæ legaliter sunt accipienda, ut debitam contestationem non excludant, uti perspicue hoc deduxit Dn. D. Scherzer. in *Dissert. Inaugur. d. Coniect. Pietat. Cap. 2. §. 4.* Hinc certi & indubitate juris est, sumtus istos ex affectu paterno factos a vitrico repeti non posse, nam semel donatum sola pœnitentia revocari nequit. *L. II. §. L. 15. C. de Neg. Gest. conf. Dn. Stryk. d. Caut. Contr. S. 3. cap. I. §. 5. 6.* In primis vero ex pietate a Vitrico sumtus isti facti fuisse præsumuntur, si hic sit dives, privignus vero cum paupertate conflictetur; prætereaque repetitione per longum tempus sit prætermissa. Stryk. c. l. §. 8. Brunnemann. ad *L. 15. C. d. Neg. Gest. n. fin.* ibique Si-chard. n. 10.

*Lex etiam ap-
plicari potest
ad sumtus in
res privigno-
rum factos.*

XIII. Evidenter multi DD. Legem nostram ad impensas in personam liberorum factas restringere fatigunt, aliud vero in impensis in res eorum factis obtinere sibi persuasum habent. Sichard. ad *L. 15. n. 2. §. II.* Kestner. c. *Diss. §. 5.* Brunnemann. ad *L. 34. ff. d. Neg. Gest. n. 3. §. ad l. II. C. eod. n. 1. 2. seq.* Coler. d. *Aliment. I. C. 6. n. 3. §. c. 5. n. 20.* Hanc autem rationem asserti sui allegant, quia pietas, quæ negat repetitionem, versatur circa personas, neutiquam vero circa res. Conf. Berger. *Animadvers. in Brunnem. quest. T. d. Neg. Gest. qv. 20.* voce: *Alimenta.* Brunnem. *cit. loc.* Quæ tamen distinctio mera subtilitate nititur. Si enim vitricus paterno affectu sumtus in res privignorum fecerit, id ci- tra

tra omne dubium ex amore & benevolentia singulari,
qua complectitur personam privignorum, in se suscep-
pit. Lege igitur non distinguente nec nobis distin-
guendum erit. *l. 8. ff. de Public. in rem ad.* Cur igitur
quæso pro expensis in res liberorum factis conjecturæ
pietatis præsumtio exulare debet? Conf. Dn. Scherzer.
c. l. §. 5. Ut autem dissentientes sententiæ suæ lucem
scenerentur, præsidium quærunt in *L. II. C. d. Neg. Gesl.*
cujus verba ita concepta fuerunt: *Alimenta quidem,*
que filiis præstitisti, tibi reddi non justa ratione postulas:
Cum id exigente materna preitate feceris. Si quid autem
in rebus eorum utiliter & probabili more impendiſti: si
non & hoc materna liberalitate, sed recipiendi animo fe-
cisse ostenderis, id negotiorum gestorum actione consequi
potes. Sichard. *c. l. Dn. Thomas. d. Ver. Pietat. jurid.*
cap. 2. §. 21. Ast vero dubium ex dicta lege desum-
tum e vestigio corruit, si attendere velis, matri tum
demum horum sumtuum repetitionem permitti, si
non materna liberalitate, sed recipiendi animo se eos fe-
cisse ostenderit. Quem igitur sensum in *cit. leg.* Vo-
cabulum: *Ostenderis, involvat, explicuit Dn. Scherzer.*
tit. loc. §. 5. Diff. Dn. Stryk. *d. Caut. Contr. S. 3. cap. 1.*
§. 7.

XIV. Cum hactenus legis nostræ sensum expli-
care annisi fuerimus, nunc haud abs re erit, ut in *ad sequentia*
subsequentibus Capitibus ostendamus, quousque *Lex*
Nostra partim sit extendenda, partim vero sit restrin-
genda. Sic igitur fiet, ut mens legis nostræ magis magis
quæſtionibus thema hoc illustrandi nobis offeratur.

CAP. II.
IN QVIBVS CASIBVS
VITRICI PATERNVS AFFECTVS
SE EXSERAT.

I.

Nimis restrin-
git Legem
Brunneman-
nus.

Non possumus consentire cum Brunnemanno in *Comme-*
ntar. Cod. ad nostram Leg. 15. qui textum nostrum
tantummodo in certis casibus admittendum esse sibi
persuasum habet. conf. Philipp. in *Vju Praef. Inst. l. 3.*
t. 28. Cum scil. de affectu paterno & donandi animo
expresse constet, nec non si in ministerio Vitrici liberi
extiterint. Quæ vestigia quoque premere voluit
Dn. Thomas. *Disput. d. Vera Pietat. Jurid. c. 2. §. 27. 28.*
Supra autem *Cap. I. §. 9.* jam satis luculenter pietatem
& affectum vitrici Paternum explicuimus. Nullum
igitur dubium supereft, quo minus in aliis quoque ca-
sibus præter eos, qui a lege expresi sunt, præsumtio
hæc pietatis locum habeat. Enimvero si juxta Brun-
nemannum tantum in citatis casibus legis nostræ dis-
positio admittenda esset, vix locus quæstioni relinque-
retur, utrum ejusmodi impensarum repetitio locum
habeat nec ne. Conf. Dn. Scherzer. *Disput. d. Conject. Pie-*
tat. c. 2. §. 4.

De patre spi-
rituali agitur.

II. Priusquam ulterius procedamus, hac occasione
haud incommode quæstionem movere licebit: Utrum
ad ductum Legis nostræ Paternus Affectus & pietatis
præsumtio etiam susceptori tanquam patri spirituali sit
tri-

tribuenda? Singulares plane effectus ex cognitione hac spirituali elicere satagunt Dd. Juris Can. ad Tit. X. d. *Cognat. Spirit.* ita ut asserant, cognitionem spirituali præferendam esse carnali, & extra dubium positum' esse existiment, patrem spiritualem in subsidium ad alimenta filio spirituali suppeditanda obligatum esse. j. Benincas. d. *Paupert. quest. 7. Spec. 2. n. 10. seqq.* Quod etiam extendunt ad eum compatrem, qui puerum in sacrum christina detinuit, nec non in eum, qui in catechismo ei factus est compater. *Cap. 2. d. Cognat. spirit. in 6. Dec. Conf. 462. n. 8.* Ait vero hæc Pontificia argumenta minime tanti ponderis sunt, ut apud Protestantes hoc figmentum cognitionis spiritualis obligationem patris naturalis inducat, & susceptor ex necessitate ad alimenta præstanda obligetur. Licet enim hic in baptismate fidem obstringat, fore, ut quocunque modo de suscepti educatione & informatione in fide christiana sollicitus esse velit; hoc tamen nulla ratione ad onus alimenta præstanti extendendum venit. Struv. *S. J. C. Ex. 30. thes. 78.* Aliud autem est, si ab ipso ex pietate sumtus in alimenta & educationem filii spiritualis sint facti absque protestatione; tunc enim pater spiritualis ad exemplum Vitrici eosdem repetere nequit. *Conf. Dn. Simon. Differt. d. Denegat. Aliment. Th. 34. Coler. d. Aliment. l. i. c. 4. n. 17. 18.*

III. Utrum vero affectus Paternus in Præcepto-
ribus quoque locum inveniat, verbi gratia sumtibus
alimentorum causa erogatis nulla prævia protestatio-
ne; hac occasione disquirendum est. Evidem M-
aistri & Præceptores inviti alimenta præstare non tenen-
tur,

*An Affetus
Paternus in
Præceptoribus
se exerat.*

tur. a. l. 3. §. 7. ff. de Muner. hoc tamen pietatis præsumptionem & paternum affectum non excludit. Li-
cet autem vice versa quidam in hac opinione sint con-
stituti, Præceptoribus a discipulis alimenta deberi. a.
l. 2. §. 47. in med. ff. d. O. J. ubi ista verba deprehen-
duntur: Sed plurimum a suis auditoribus sustentatus est.
Ast vero in d.l. tantum exemplum Auditorum propo-
nitur, qui Præceptorem alere voluerunt; exempla ve-
ro non inferunt jus. Conf. Dn. Berger. *Animadvers.* in
Brunnem. Quæst. Tit. d. Agnosc. & Alend. liber. qu. 9. vo-
ce: *Affirm.*

*Quid juris sit
in patre ado-
ptivo.*

IV. Quo minus Patri adoptivo affectum pater-
num tribuamus, nullum dubium supereft. Imo cum
adoptio imiteatur naturam. §. 4. f. d. *Adopt.* hinc pater
adoptivus se quoque obligasse videtur ad alimenta præ-
standa. Nec alimentis præstandis propterea se sub-
ducere potest, quod filius adoptivus adhuc patre na-
turali utatur. Enimvero pater adoptivus per adopti-
onem ex libera voluntate factam, filio adoptivo jus
filiationis tribuendo, sibimet ipsi hoc onus imposuit,
ita ut consilium suum in præjudicium patris naturalis
mutare nequeat. l. 75. ff. d. R. f. l. 5. C. d. O. & A. Conf.
Dn. Simon. *Dissert.* d. *Denegat.* *Aliment.* Th. 33.

*Vitricus tutor
privignorum
esse potest.*

V. Nunc ad Vitricum revertimur. Quousque
affectus paternus ratione alimentorum & mercedis
Magistris præstata se exserat, supra in *Cap. I.* deductum
fuit. Ex paritate rationis Lex nostra ad plures alias
casus applicari potest. a. L. 32. ff. *Ad Leg. Aquil.* Pro-
pter affectum igitur Paternum Vitricus tutela privigno-
rum

rum suorum fungi potest, ita ut Lege non prohibeatur, sed potius admittatur. *I.f. C.d. Contrar. Jud. tut. L.32. §. 1. f.f. d. Adopt.* Hinc in Gallia Vitricos plerumque privignorum esse tutores testatur Mornac. *Obseru. in Cod. ad L.15. C. de Neg. Gesl.* Imo Vitricum quoque in Camera confirmatum esse tutorem meminit Dn. Mencken. *Tract. Synopt. Pand. Th. Pr. t. d. Tutel. p. 362.* Quamvis autem alii volentem quidem vitricum ad privignorum tutelam admittant; invito tamen hoc officium injungi non posse autument. conf. Maynard. *Lib. 6. Decif. 49.* Neutiquam vero ista hypothesis ex juris Civilis principiis defendi potest. *a. pr. f. d. Excus. Tut. Joann. a Sommer. d. Jure Noverc. c. 5. n. 1. seqq.* Interim hic silentio non est prætermittendum, quod mater non possit retinere educationem liberorum suorum, postquam vitricum superinduxit. *L. 1. C. Vbi Pupill. educar. Nov. 22. cap. 38.* Hodie tamen citatus Autor nihil obstare putat, quo minus vitrico educatio privignorum committatur. Non possumus non hic allegare verba Grœnewegen. *ad Tit. C. ubi Pupill. educ.* Tetrica illa & funesta præsumtio, inquit, licet forte cadat in Italos, a morum nostrorum simplicitate atque integritate omnino aliena est; ideoque hodie pupilli passim educantur apud matrem, quamvis ad secunda vota transferit. Hinc quoque cum probata esset fidei & vita vitricus; apud matrem adhuc alendos esse liberos præjudicio Fac. Jurid. Lips. confirmavit Magnif. Dn. Mencken. *in Gymnas. Polem. Controv. Select. Jur. Civ. Disp. XI. T.II. Conf.* Dn. Lau-terb. *Disp. d. Singular. Affin. Jur. Th. 49.*

C

VI. Quod

*Nec sumitus in
petitionem tu-
toris factos re-
petit.*

VI. Quod si affines & amici pupillis tutores petierint; hi sumitus hoc intuitu erogatos actione negotiorum gestorum repetunt, nisi forsitan alius ad tutores ex affectione propriis impendiis desiderandos paratus fuerit. *I. 2. C. d. Neg. Gesl. l. 44. ff. eod.* Quod ad vitricum attinet, hic quoque sumitus in petitionem tutoris factos repetere nequit, quia amicitia paterna ductus pupillo tutores petiisse censetur. *d. l. 44.* Menoch. *d. A. f. Q. l. 2. c. 88. n. 61.* Brunnemann. *ad c. l. n. 2.* Quod etiam juris est, cum amicitia ductus paterna tutores suspectos postulaverit. Conf. Dn. Thomas. *d. Ver. Pierat. Jurid. Cap. z. §. 26.*

*De vitrico do-
zem pro privi-
gna constitu-
ente dicitur.*

VII. Quantus fit dotis favor, neminem latere potest, interest enim Reipublicæ, ut ne mulieres indentatae sint. *L. 1. ff. Solut. Marrit.* Hinc pater ex iuris necessitate filiam adhuc sub potestate ejus constitutam dotare tenetur. *I. f. C. d. Dot. Prom. l. 19. ff. d.* R. N. & ad dotationem officio judicis compelli potest. Carpzov. *P. 2. C. 42. D. 12.* Quod ad Vitricum attinet, hic quidem ad dotem privignæ constituendam obligari nequit. Donell. *Commentar. Jur. Civ. L. 12. c. 4. n. 50.* Interim tamen hic quoque paternus affectus se exserit, ut dos repeti nequeat, cum ab antiquis JCtis Romanis hæc ad pias causas referatur. Notatu digna sunt verba, quibus Vlpianus in *L. 32. §. 2. ff. d. Condit. Indeb.* usus fuit: *Mulier, inquit, si in ea opinione sit, ut credat se pro dote obligatam, quicquid do-
tis nomine dederit, non repetit: sublata enim falsa opi-
nione, relinquitur pietatis causa, ex qua solutum repe-
ti non*

*ti non potest. j. Salicet. ad L. II. C. de Neg. Gest. num. 5.
Kestner. Diff. d. Pietat. Jurid. §. 5.*

IX. Idem quoque afferendum est de donatione propter nuptias; hæc enim cum dote pari passu ambulat, & aequaliter promeretur favorem exceptis causibus a jure expressis, ut docet Vincent. de Franch. P. I. Dec. 182. n. 2. seqq. Menoch. d. Præsumt. l. 3. Præf. 15. n. 10. Cur igitur ad hunc quoque casum affectus Vitrici Paternus non sit extendendus, nulla ratio obstat. Quamvis autem DD. nonnulli in hac opinione sint constituti, quod si alias, qui juris vinculo ad hoc non sit obstrictus, dotaverit, aut propter nuptias donaverit, eum non præsumi habuisse animum dotandi sed repetendi. Francisc. Card. Mantic. d. Tacit. & Ambig. Convent. l. 13. t. 13. n. 15. Paul. d. Castro l. 2. Conf. 96. Natt. Conf. 100. n. 14. ita ut generaliter, quicunque in alterius rem impedit, videatur animum habuisse repetendi. a. l. 25. ff. d. Probar. Carpzov. P. 2. C. 10. D. 25. num. 5. Ast vero in antecedentibus jam satis superque evictum fuit, affectum paternum in persona vitrici longe aliam præsumptionem inducere, inde dissentientium argumenta sponte sua corruunt. Conf. Dn. Lauterb. Diff. d. Donat. propt. Nupt. §. 30.

IX. Nec vitricus sine paterno affectu privignum sumtibus suis ex captivitate redemisse censetur. Enim vero lytron sola pietatis ratione soluisse præsumitur, ita ut ipsum facti pœnitere, ac de pretio quicquam tractare non conveniat, uthic nostra faciamus verba

*De lytro pro
privignis præ-
sito sermo fit.*

elegantissimæ Leg. 17. in fin. C. d. Postlim. reversi conf
Brunnem. ad L. II. C. d. Neg. Gesl. n. 6. Et licet alias
redemptum jure quasi pignoris, usque dum pretium
erogatum restitutum fuerit, detinere liceat. l. 2. l. 13.
C. c. t. ita ut operis egeatis redemptor utatur. l. f. C.
eod. Conf. Mev. P. 6. Dec. 23. Dn. Schcepff. Synops.
Fur. Priv. tit. d. Capitv. & Postlim. reversi. n. 11. Qui ri-
gor juris tamen vix ac ne vix quidem a vitrico postea
in usum deduci poterit. Conf. c. I. 17.

Favor sumtu-
um in studia
privignorum
factorum
commenda-
tur.

X. Non possumus non occasione Legis nostræ
oculos convertere ad sunitus in studia & artes liberales
privignorum a vitrico erogatos. Supra jam Cap. I. §. 6.
explicatum fuit, quid Lex per mercedem Magistris
solutam intellectum velit; quo in præsenti nos remit-
timus. Studiorum igitur causa pia esse dicitur, &
studiorum gratia legatum piæ causæ relictum cen-
setur. Tiraquell. d. Privileg. piæ cauf. in Prefat. n. 26.
Brunnemann. Conf. penult. n. 401. ita ut parem esse
causam juris dotis & sumtuum studiorum tradat Hil-
lig. in Tr. d. Expens. Stud. n. 36. imo majorem esse ra-
tionem studiorum quam dotis, autumer Kreinberg.
d. Sumt. Stud. qv. i. Rat. dec. n. 42. Hinc quoque sum-
tus studiorum a filio non sunt conferendi. l. 50. ff. Fam.
Hercisc. conf. Dec. El. Sax. 50. pater enim has impen-
fas pietatis intuitu fecisse, atque donasse præsumitur.
Harprecht. ad §. 2. J. d. Donat. n. 60. Christin. V. i. Dec.
178. Quod eo extenditur, ut mutuum quoque stu-
diorum causâ acceptum non conferatur, sed com-
mune omnium hæredum onus sit. L. I. §. 16. ff. d. Col-
lat. Carpzov. P. i. C. II. D. 15. & tanquam debitum &

25

ex alienum patris ab iis exsolvendum sit. Michalor. d.
Fratr. P. 1. c. 26. n. 11. Brunner. d. *Collat.* C. 4. n. 162.
 Nulli igitur dubitamus, quo minus etiam sumitus in
 privignorum studia a Vitrico impensos paterno ipsius
 affectui inter accepta referamus, ut eos repetere non
 valeat. Quod matris exemplo quoque probare li-
 cet, quæ si materno affectu excitata sumitus studiorum
 filio suppeditaverit, nec a filio nec a marito hos re-
 petere potest, quia ex materno affectu erogasse, at-
 que eosdem donasse videtur. I. 5. §. 14. ff. d. *Agnoſc.* &
Alend. *Liber.* Dn. Scheepffer. *Difſ. d. Sumt. Stud.* cap. 2.
 n. 33. Quemadmodum autem dicti sumitus sunt
 conferendi, si male fuerint impensi. conf. *Dec. El. 50.*
 cum jura delinquentibus non saveant. I. 37. in fin. ff.
 d. *Minor.* 25. ann. I. 2. §. 3. ff. ad *SCI. Vellej.* ita quoque
 Vitricus privigno sub hac conditione sumitus studio-
 rum subministrasse creditur, si scilicet bene eos im-
 pendat. Cui voto si privignus non respondeat, do-
 natum restituere tenetur. *Struv.* Ex. 37. *thes.* 10. in fin.
Hillig. c. I. n. 68. seqq. Interim Studiosus pro se ha-
 bet præsumptionem, ipsum bene expendisse sumitus.
 Michalor. d. *Fratr.* P. 1. c. 26. n. 15. Dn. Stryk. Tr. d.
Success. ab Intest. *Difſ. II. c. 3. §. 19.* Quod etiam sta-
 tuendum venit, si privignus studia temere deserere
 religioni sibi non ducat, & aliud vitæ genus ample-
 datur. Conf. Dn. Scheepffer. *Synops. Jur. Priv.* tit. d.
Collat. n. 15. Dn. Stryk. c. I. §. 20. Quæ hactenus di-
 cta fuerunt, omnino applicari quoque possunt ex
 paritate rationis tum ad sumitus itineris. conf. Carp-
 zov. P. 1. C. II. D. 17. 18. *Lyncker.* *Analeſſ.* tit. d. *Collat.*

p.351. Cephal. V. 4. C.534. n. 4. Jac. Concennat. qv. 2.
 l.2. qv. 6. n. 1. conf. Dn. Lembken in *Diss. d. Sumt. Irin.*
 c. 2. §. 20. n. 5. tum quoque ad eas expensas, quibus
 privignus dignitatem Doctoralem aut Magisterii sibi
 acquisiverit; paterno enim affectu vitricus has
 donasse in præmium virtutis & laudabiliter peractorum
 studiorum præsumitur. l 1. §. 16. ff. d. Collat. Carp-
 zov. P.3. C. II. D.17. § 18. Dn. Schöpffer. dict. *Dissert.*
Cap.3. n. 44.

*Quid statuen-
 dum sit de Ca-
 nonicatu sum-
 tibus Vitri-
 ci acquifito.*

XI. Quid vero sentiendum est, si vitricus sum-
 tus suppeditaverit, ut privignus Canonicatum sibi
 acquireret? Qua occasione non possumus non mone-
 re, apud Augustanæ Confessioni addictos resignatio-
 nem Præbenda honorario soluto factam non esse illi-
 citam, dummodo legitimè fiat; cum præbenda pro
 rebus spiritualibus proprie sic dictis non habeantur.
Inſtr. Pac. Oſn. & Mon. art. 5. conf. Dedek. *Conf.*
Eccles. V. T. von den Thum. Herren n. 6. Struv. Ex. 49.
 §. 12. j. Dn. Godofr. Nic. Ittig. *Dissert. d. Offic. in Fav.*
tert. resignat. c. 3. §. 13. ubi argumenta dissentientium
 elidere annis fuit. Quid obstat igitur, quo mi-
 nushoc quoque in casu in Vitrico affectum paternum
 se exferere statuamus? Quod etiam eo casu locum
 habebit, si militia a Vitrico sit emta. Per militiam
 autem intelligunt DD. die Erlangung eines Dienstes
 vom Lands-Herrn in Civil- und Militär - Geschäftten.
 Conf. Dn. Stryk. *ad Brunnum. Conc. Cred. c. 5. §. 36.* Dn. Lu-
 dov. Einleit. zum *Concurs-Proc. c. 10. §. 30.*

*Sumptus medi-
 cine & fune-*

XII. Cum lex nostra in specie alimentorum men-
 tionem fecerit, ex eadem ratione ad Medicamenta ap-
 plica-

*vis causa facti
considerantur.*

plicari potest, cum Vitricus sumtibus hac ex parte non pepercerit, ut privignis ægrotantibus medelam afferret. *j. l. 13. C. d. Neg. Ges. Conf. Dn. Stryk. d. Caut. Contr. S. 3. c. 1. §. 7.*

Nec minus idem de sumtibus in funus privignorum erogatis statuendum venit. Non obstat allegata *L. 13.* quippe quæ de marito sermonem instituit, quid, quod in sepulturam uxoris impendit, repetere potest, quia jam desuit matrimonium esse, prætereaque maritus non tenetur ad funerandum, nisi quatenus dotem lucratur. *L. 16. l. 20. §. 1. ff. d. t. Hartman. Pistor. Obs. 57. n. 8. conf. Brunnemann. ad cit. l. 13. n. 7.* Ita ut impensa funeris æs alienum dotis esse dicatur. *l. 18. ff. d. Relig. & sunt. Fun. Conf. Dn. Philipp. Dissert. d. Sumt. Fun. c. 2. §. 3.* Si igitur Vitricus ex libera plane voluntate istos sumtus fecerit, paternus omnino affectus satis certo elucescit. *a. l. 14. §. 7. ff. cit. tit. conf. Finckelthaus. d. Jur. Sepult. Concl. 67. lit. a.* nisi forsitan vitricus protestatione vel quocunque alio modo animum repetendi declaraverit. *Conf. Dn. Philipp. d. Dissert. c. 5. §. 4.*

XIII. Quod si privigni æs alienum contraxerint, idque vitricus sponte sua dissolverit; an tunc affectu paterno id factum fuisse præsumatur, disquirendum est? Hic quoque in affirmativam sententiam concedere nulli dubitamus, nisi vitricus debita distrahens, cedenda fibi a creditoribus jura curaverit, vel alio modo animum repetendi manifestaverit. Cum vero dicta ad exceptiones spectent, in *Cap. III.* sub sequente hæc uberioris dilucidandi occasio suppeditabitur. Caterum quoque extra controversia aleam positum est, vitricum pri-

Quo jure utatur vitricus æs alienum dissolvens,

privigno debitum donasse præsumi, quod eodem adhuc superflite non petuit, cum tamen vice plus simplificationes inter eos subductæ fuerint. *I. 26. ff. d. Probat.*
conf. Dn. Schœpffer. Synops. Jur. Priv. tit. d. Neg.
Gest. n. 25.

An sumtus li-
tis affectu pa-
terno erogan-
tur?

XIV. Si vitricus pro privigno & privigna in iudicio cum cautione rati vi præsumti mandati admittatur, procul dubio affectui id paterno est tribendum. *O.P.S. 27. §. mirlassen. Conf. Dn. Berger. D.F. ad O.P. S. Obj. n. 5.* Quod defendendi ius semel indulatum agnatumque mortua persona, qua mediante affinitas est contracta, non expirare DD. autumant. *a. §. 1. in fin. § 6. f. d. Nupt. I. f. C. d. V. S. l. 14. C. d. Quest. l. 1. §. 1. ff. de Leg. Presl. Carpzov. Proc. t. 5. a. 6. num. 46. seqq. Da. Schwendend. ad Fib. Proc. p. 254. Diff. Dn. Berger. Resol. Leg. obstant. l. 3. t. 3. d. Procurat. voce: *inter affines*. Quia occasione haud immerito disquirendum, quid tunc juris sit respectu sumtuum litis. Vitricum igitur hoc casu, quoque sumtus litis affectu paterno erogare voluisse, nullum dubium supereft, nisi forsitan contrarium evidentioribus argumentis demonstrari possit. *Conf. Perez. ad Cod. tit. d. Neg. Gest. n. 10.* Imo quoque si vitricus multam pecuniariam ex libera voluntate pro privignis suis solverit, donandi animo hoc factum esse censetur, uti hunc casum in simili solide explicuit Magnif. Dn. Mencken. *Tract. Synopt. Pand. t. d. Collat. pag. 455.**

De vitrico ex
errore agente
disquiritur.

XV. Plures casus adhuc proponi possent, in quibus paternus affectus in Vitrico juxta legem nostram se exferat. Ast vero ex dictis principiis facile iisdem lucem

lucem fœnerari licet, ut supervacuum putemus, si hac ex parte nimiopere solliciti esse velimus. Quoties igitur ex paterno affectu vitricus tale quid privignis suis præstiterit, nulla repetitio ei tribuitur. *L.5. C.d.O. § A.* *L.75 ff. d.R.J.* ita ut ne quidem condicitioni indebiti locus pateat. Conf. Dn. Mencken. *Tb. § Pr. Pand. tit. d. Condic. Indeb. Tb. 13.* Lauterb. *Colleg. Præc. Pandæct. t. d. Neg. Ges. §. 4.7.* Nec hic possumus silentio prætermittere, ne quidem repetitionem vitrico dari, etiam si errore ductus privignis alimenta subministraverit, quia semel donasse præsumitur. Sublata enim licet fallax opinione relinquitur pietatis causa, ex qua solutum repeti non potest. *L.32. §. 2. ff. d. Condic. Indeb.* nisi forsitan dolo inductus fuerit. *a. l. 43. pr. ff. d. Fur. Coler. d. Aliment. l.i.c.9. n.7.*

CAP. III.
QVANDO PRÆSVMTIO
AFFECTVS PATERNI
CESSET.

I.

SVpra jam mentio facta fuit, in Vitrico animum dominandi præsumi, ita ut sumtus in alimenta vel quam-
eunque similem causam factos repere nequeat. Conf. *Coler. d. Alim. l.i.c.4. n.17.18.* Cum enim Vitrici atque tur-
privigni parentum & liberorum respectu invicem gau-
deant, inde omnino vestigiis legis nostræ insistentibus
pietatis atque affectionis paternæ conjecturam capere
licet, Conf. Dn. Thomas. d. Ver. Pietat. Jurid. c. 2. §. 18.

D

Vtcun-

Vt cunque sit, ista præsumtio tamen contraria probatiōne elidi potest. l. 34. ff. d. Neg. Geſt. Mantic. d. Tac. & Ambig. Convent. l. 3. t. 18. n. 16. 17. Dn. Thomas. c. l. §. 28. Sichard. ad l. 1. C. d. Neg. Geſt. n. 8. Salicet. ad l. II. C. cit. tit. n. 5.

*De animo re-
petendi con-
flare debet.*

II. Nunc igitur haud abs re erit, ut confidemus, in quibus casibus præsumtio affectus paterni in Vitrico cesseret. Hic igitur quoque cynosuram legis nostræ sequemur, cum legislator istis verbis usus fuerit: *Quod si ut repetitur ea, quæ in sumum missi, aliquid ero-
gasti: Negotiorum Gestorum Tibi intentanda est actio.* De animo autem repetendi constabit, cum vel vitricius per protestationem sibi consuluerit; vel si istos sumtus in librum impensarum retulerit; vel credendi animo impensas in privignorum personas aut res erogaverit, ita ut quoque attendamus, quid juris sit, si vitricius bona privigni administraverit, vel privignus privignaque in servitio Vitrici extiterit; Prætereaque aliarum quæstionum hac occasione commode tractandarum mentionem faciamus. De singulis istis casibus ex instituto in subsequentibus adhuc breviter agere licebit.

*Protestatione
intentio vitri-
ci declaratur.*

III. Vitricus igitur, cum ab initio affectu paterno motus sumtus suppeditaverit, ex post facto in præjudicium privignorum consilium mutare, & diversum animum induere nequit. l. 75. ff. d. R. J. Cum semel donatum sola pœnitentia non possit revocare. a. l. II. & l. 15. C. d. Neg. Geſt. conf. Dn. Huber. *Praelec. ad Pand. c. t. §. 3.* Nisi animum repetendi protestatione declaraverit. a. l. 50. ff. Fam. Herc. conf. Dn. Stryk. d. Gant. *Contr. S. 3.*

§. 3. c. 2. §. 9. Se neutiquam animum induxisse, ut has imperias donet, sed se eas, accipiente privigno ad meliorem fortunam successu temporis adipirante, repetiturum esse. l. 34. ff. d. Neg. Gesl. Sichard. ad l. 15. C. d. Neg. Gesl. n. 8. Perez. Cod. c. t. n. 12. Protestatio enim conservat jus protestantis, idque in tuto collocat. a. l. 4. §. 1. ff. Qurb. mod. pign. vel hypoth. l. 14. §. 8. ff. d. Relig. Et Sumt. Fun. Klock. Tom. I. Conf. II. n. 10. Et 237. Marquard. d. Jur. Commerc. l. 2. c. 12. n. 86. Carpz. P. 2. C. 28. D. 10. n. 6. atque præsumptionem taciti consensus elidit. Coler. ad Cap. 20. X. d. Sent. Et re jud. n. 12. j. Dn. Stein. Diff. d. Protest. Secret. c. 3. n. 7. Satisque tunc elucescere incipit, vitricum non impensas fecisse tanquam patrem, sed ut negotiorum gestorem. Mornac. ad nostr. Leg. 15.

IV. Idem obtinet, si quod impensum est, vitrīcus libro rationum intulerit, ita ut hac ratione protestari quoque videatur, animum sibi esse reperendā impenſe, quam fecerit. l. 34. in fin. ff. d. Neg. Gesl. conf. Mornac. c. l. Equidem DD. plerumque in hanc propendent sententiam; sola tamen relatio in librum rationum sufficere nequit. Quamvis enim inde oriatur quidem præsumtio credendi, hæc tamen infirmo nititur fundamento, ut facile a paterno affectu & expensarum favore vincatur. l. 50. ff. Fam. Herc. Dec. El. Sax. 50. Omnis enim alia conjectura capi potest, vitricum memoria sublevandæ causa in proprio libello sumtus istos consignasse. Dn. Schoepffer. Diff. d. Sumt. Stud. c. 3. n. 49. Conf. Dn. Berger. Animadv. in Bruninem. Ques. ad Pand. tit. d. Neg. Gesl. voce: *Protestatus*. Nec dictis obſtit l. 34. in fin. ff. d. Neg. Gesl. Qua ratione enim d. l. sit

D 2 acci-

*Quid sententia
dum est, cum
sumtus in li-
brum ratio-
num sint re-
lati?*

accienda, solide explicuit Dn. Berger. c. l. Brunnen.
add l. 34.Dn. Thomas. *Diff. d. Vera Pietate Jurid. c.2. §. 20.* Dn. Stryk. *d. Success. ab Intest. Disp. XI. C.3. §. II. in fin.*
Omne autem dubium e vestigio removebitur, cum distinguiamus, utrum vitricus propriis rationibus im-
pensas in alimenta filii factas inferat; an vero hoc anno-
taverit in rationibus de negotiis gestis privigni con-
scriptis. De posteriore igitur casu cit. l.34. accipien-
dam esse probare satagit paulo ante laudatus JCtus Dn.
Thomas. in *Annot. cit. Differt. §. 7.* aliter autem in prior-
re casu sentiendum esse putat. Cui interpretationi o-
mnino favet alimentorum studiorumque, nec non pie-
tatis paternæ præsumtio, quæ repetitionem, nisi liquido
de ea vitrici mente constet, non admittit. Dn. Stryk. l.
E diverso omne dubium cessabit, si in libro rationum
præmissum fuerit, hos sumptus animo repetendi eroga-
tos fuisse, quod prolixius deductum legere licet apud
Finckelth. *Obs. II. n. 6.* Philipp. ad *Dec. El. 50.* *Obs. 3. n. 21.*

*In vitrico cre-
dente cessat
affection pater-
nus.*

V. Affectus paternus in Vitrico tunc quoque ex-
ulat, cum credendi animo sumptus ab ipso facti fuerint;
& quoconque modo hæc intentio ab eodem declarata
fit. l.50. ff. *Fam. Herc.* Alias enim præsumtio juris non
tollitur, quod vitricus istos sumptus donasse videatur.
Conf. Dn. Schœppfer. *cit. Diff. c.3. n. 48.* Ille enim cre-
dendi animus non ex præsumptionibus incertis elicien-
dus, sed comprobandus est. Dn. Stryk. *d.S.A. f. D. II. c. 3.*
§.II. Cum ratione repetitionis a Vitrici hæredibus in-
stituenda hæc quæstio sit necessaria. Quo minus au-
tem pietas paterna credendi animum in dubio præsu-
mi finat, pluribus deduxit Kremberg. *d. Sumpt.*
Stud.

*Stud. qu. I. in limitat. n. 8. seqq. j. Dn. Stryk. c. I. §. 13. in fin.
Et §. 18.*

VI. An vero legis nostræ dispositio tunc quoque locum obtinebit, cum privigni bona habeant, quæ a vitrico administrantur? Quod omnino negandum est, cum vitricus hoc casu sumtus ex bonis privigni subministrasse censeatur. *a. l. 34. ff. d. Neg. Gest. Brunnem. d. Collat. c. 4. n. 79. Carpz. P. 3. C. II. D. 19.* Quod tamen ad fructus est restringendum, ita ut vitricus substantiam filio potius conservare voluisse præsumatur. *a. l. I. C. d. Bon. Matern. & l. f. C. c. 1. Dn. Schœpffer. Synops. Jur. Priv. tit. d. Collat. n. 16. 17.* Rationem vero, cur præsumtio pietatis hoc casu cesset, Dd. in eo collocant, quia quilibet administrator, si quid gerat, in dubio hoc administratorio nomine gessisse censetur. *l. 43. §. 1. ff. d. Adm. in. Tut. l. 5. §. 1. Et l. f. ff. Quand. ex fact. tut. j. l. f. ff. d. Hæred. Per. Schoepffer. Differ. d. Sumt. Stud. c. 3 n. 29. seqq. Brunnem. add. l. f. Dn. Stryk. d. Caut. Contr. S. 3. c. I. §. 7.* Qua occasione haud abs re fore putamus, ut privignus ita sibi prospiciat, & a vitrico bona ejus administrante scriptam sibi tradendam curet contestationem, quod ex suis & non privigni bonis sumtus suppeditaverit. Conf. Dn. Stryk. c. I. §. 9.

VII. Sed quid hoc casu juris est, cum privignus in servitio Vitrici extiterit? Tunc quoque præsumtio affectus paterni cessat; compensationis enim loco alii menta præstari præsumuntur. Notatu digna sunt verba, quibus hac ex parte usus fuit Sichard. *ad l. 15. C. d. Neg. Gest. n. 10.* Si cognatus quendam, inquit, ex familia alat, qui interim sui famuli loco, non poterit repeterere id, quod im-

*Idem obtinet
in vitrico ad-
ministrante.*

pendit, quia videtur gratia servitorum hoc impendisse. a. l. 48. ff. d. Oper. Libert. Quod si igitur privignus vel privigna in servitio vitrici fuerint, ideo repetere nequit, quia propter servitium & operam sumptus erogati fuerunt. j. l. 31. §. f. ff. d. Donat. int. Vir. & Vx. conf. Gloss. in l. 34. ff. d. Neg. Gest. Salicet. ad cit. l. 15. ita ut alere quis teneatur eum, cuius operis utitur. l. 18. §. 2. ff. Commodat. Qua de causa non dividet erit, cum hic verba præjudicii a Carpzov. P. 2. C. 10. D. 27. propositi in medium producamus: Hat ein Bürger, von welchem eure Frage meldet, seine drey Stieff-Dochter, bis sie zu ihren Jahren kommen, alimentiret, und mit Unterhalt versorget; ob er nun wohl der ältesten und jüngsten das Kostgeld, so sie schuldig gewesen, gutwillig geschenkt; so mag er doch auch der mittelstein, so er 45. Jahr bei sich mit erhalten, dergleichen zu thun, und ihr das Kostgeld zu erlassen wider seinen Willen nicht gedrungen werden, sondern woferne er bemeldte seine mittelste Stieff-Dochter zu seinen Diensten nicht gebrauchet, noch dieselbe als eine Magd arbeiten lassen, ist er von ihr wöchentlich einen halben Thaler Kostgeld zu fodern wohl berechtigt, B. R. W. Quæ tamen operarum privigni cum alimentis compensatio tunc locum obtinebit, si sint æqualia. De hoc tamen ex qualitate personarum, operarum & alimentorum est judicium ferendum. Coler. d. Aliment. l. l. c. 4. n. 26. Bachov. in Treutler. Disp. 10. Vol. I. tb. 3. lit. C.

Quid obtinet
privigno divi-
te existente?

IIX. Cum vero vitricus non teneatur onera privigni in se suscipere. l. 3. §. 7. ff. d. Muner. Gothofred. ad l. 15. C. d. Neg. Gest. lit. n. hic questio ventilanda est: utrum

utrum affectus paternus quoque sese exserat, si vitrīcus sumtus in personam privigni divitiis abundantis fecerit? Quo casū DD. præsumptionem affectus paterni cessare existimant; ut scilicet non præsumatur Vitrīcus privigni negotia gerens donare voluisse. Sichard. ad cit. leg. n. 10. Stryk. d. S. A. J. Diff. II. c. 3. §. 21. conf. §. 6. cap. 3. Quod autem conjectura sit capienda ex quantitate impensarum, utrum magna sint, an vero exigua, in simili casu decidit Celsus in l. 47 ff. d. Donat. int. Vir. & Vx. Sic ut in parvis donatio, in magnis negotiorum gestio intercessisse præsumatur. Conf. Gothofred. ad cit. leg. lit. g. Diff. Brunnum. ad L. 27 ff. d. Neg. Gest. n. 3.

IX. Qua occasione haud immerito discutiendum est, quid statuendum sit, si hac ratione a vitrico liberi in legitima laeti fuerint, ut paternum vitrici affectum ex capite inofficioꝝ donationis impugnare satagant. Cum igitur legitima favor sit insignis. l. 7. pr. ff. d. Bon. damnar. l. 7. §. 1. ff. Si tab. testam. null. ext. ita ut pater in legitima nulla ratione liberos gravare possit. l. 32. C. d. Inoffic. testam. & t.t. C. d. Inoffic. donat. Conf. Richter. ad Avth. Habita. C. Ne Fil. pro patre Disp. 5. n. 5. Inde quoque liberorum in legitima laſorum justum est petitum, ut sumtus isti in privignos facti, quatenus legitimam lādunt, restituantur, quod ex Dec. Eleſ. Sax. 50. illustrari potest, in qua sequentia verba notata digna deprehenduntur: auf den Fall, da die Unfoſten ſo übermäßigig, daß denen übrigen Kindern die Legitima geſchwächt wird, soll dasjenige, was die Rechte de inofficioſis donationibus und ſonſten verordnet, unverrückt Statt haben,

Liberis in legitima laeti paternum affectum imputare permittitur.

haben, und in acht genommen werden. Ibique Philipp.
Obj. i. Quod etiam intuitu dotis privignæ a vitrico
donandi animo concessæ obtinet, quæ & ipsa antiquo
jure Romano inter donationes relata fuit. *L.f.pr.C.d.*
Donat.ant.Nupt. priusquam vinculum juris civiliter
cogens accederet ex constitutione *Severi & Antonini*,
referente Martiano in *L. 19. ff. d Rit Nupt.* Liberi igitur
nostro quoque casu de inofficioſa dote agere possunt,
ut tantum restituatur, quantum ad legitimam conse-
quendam requiratur. *L.L.C.d.Inoff.Dor.*

*Ob superveni-
entiam liberorum
sumus
reperi possunt.*

X. Verum ob supervenientiam liberorum sum-
tus paterno affectu a vitrico expensi repeti possint, ope-
rx pretium fore putamus, ut hoc loco examinemus.
Nulli igitur dubitamus, quo minus affirmativa senten-
tia calculum addamus, nemo enim conjectura pietatis
paternæ præsumitur proprium sanguinem alieno post-
ponere voluisse. *a. l. 30. in fin. C.d. Fideicomiss.* Præ-
supponitur tamen donatio alicujus momenti, cum non
sit verosimile, vitricum donaturum fuisse, si de liberis
successu temporis nascituris consilium iniisset. Car-
zov. *P. 2. C. 12. D. 32.* Tiraquell. *ad L. 8. C.d. Revoc. Da-*
nat. Quod & procedit, si tantum unus nascatur, li-
berorum enim nomine etiam unus comprehenditur,
ita ut non sine liberis mortuus fuisse videatur, qui vi-
vum relinquit. *L. 148. ff. d. V.S. Perez. in Cod. T. de Revo-*
cac. Donat. n. 8. 11. 15. j. Dn. Zannschliff. Diff. d. Revoc.
Donat. th. 27. Imo licet hoc casu vitricus tanquam do-
nator tacuerit; ipsis tamen liberis defuncti facultas a-
gendi & donata repetendi permittitur, cum propter
supervenientiam liberorum donatio ipso jure revoce-
tur

tur. *I. & C. de Revoc. Donat. verb. Revertatur.* Ita ut liberi revocationem jam ipso jure factam saltem objiciant. Bald. & Salicet, *ad cit. leg. fin. Zaunschliffer. c. I. th. 28.* Liberi tamen legitime nati tantummodo hoc jure utuntur, ita ut neque naturales neque spuri, neque legitimati per Rescriptum Principis admittantur. Zaunschliffer. *c. I. th. 29. Berger. in Oecon. jur. p. 270.* Nec denique ob supervenientiam liberorum ista donatio Vitrici revocari potest, si sumtus animo donandi a Vitrico erogati fuerint eo tempore, quo jam liberos habebat, licet successu temporis eidem plures nati fuerint. *c. I. g. ibique Brunnem. n. 6. Schöpffer. Synops. Jur. Priv. tit. d. Donat n. 22.*

XI. Si denique Vitricus ingratitudinem allegare *Quid si vitri-*
velit, an audiendus est, ut sumtus affectu paterno fa-
cios repetere possit? Cum autem lex nostra de privigna
ex instituto loquatur, hac occasione præcipue ad do-
tem a Vitrico eidem concessam attendemus. Respe-
ctu patris rem extra omnem controversiam DD. positi-
tam esse censem, quod ob ingratitudinem dos revoca-
ri nequeat. I. 24. C. d. Jur. Dot. l. f. C. d. Dot. Promiss. Brunnem. *ad cit. I. 24. & I. 69 ff. d. Jur. Dot.* Et quidem ratio-
*nem inde desumunt, quia patris officium est dotem da-
 re pro sua progenie. I. f. C. d. Dot. Promiss. ita ut dicatur
 solutio debiti & donatio ob causam necessariam. I. 19. ff.
d. Rit. Nupt. Quod etiam ita se habet in vitrico privi-
*gnæ dotem constitente; quamvis enim ab initio nul-
 lo jure cogente ad privignam dotandam obligetur.* Conf. Donell. *Commentar. Jur. Civ. I. 12. n. 50. p. m. 566.* ab
 hac voluntate tamen in posterum recedere nequit, cum*

E

Rei-

Reipublicæ intersit, mulieres indotatas non manere. Quod ex paritate rationis applicandum quoque venit ad donationem propter nuptias privigno factam. Conf. Molin. Tom.2. d. *Contract. Disp. 281.*

*Hicce casibus
probatio est
necessaria.*

XII. Hactenus igitur deductum fuit, in quibus casibus præsumtio paterni affectus in vitrico cesseret. Cum vero hæc res non in jure sed in facto consistat, hoc omnino probandum erit. conf. Dn. Böhmer. *Intro. in Jus Digest. tit. d. Neg. Gest. & circumstantia bene consideranda sunt, utrum scilicet alia, quam donandi conjectura mentis capi possit. a.l. 25. pr. ff. de Probat. ita ut pro re nata juramentum hac ex parte sit admittendum. Conf. Dn. Brunnem. ad l. 27. ff. d. Neg. Gest. n. 4. Ut igitur istis difficultatibus vitricus superfedere successu temporis possit, bene sibi prospiciet, si ab initio animi sensa satis aperiat, & palam testetur, qua mente & intentione tale quid faciat, ut ne imposterum patiatur quæstionem juxta JCtum in l. 14. §. 7. in fin. ff. d. Relig. & Sumt. Fun. Conf. Molin. d. *Jus. & Jur. Disp. 55. n. 12.**

*Quæ actiones
vitrico dantur
ad sumtus re-
petendos.*

XIII. Cum autem constet, animo repetendi istos sumtus a vitrico factos fuisse, repetitio eidem neutri quā deneganda est. Satis luculenter hoc legislator in nostra lege affirmavit hisce verbis: *quod si ut repetitur us
ea, quæ in sumtum misisti, aliquid erogasti, negotiorum ge-
fitorum tibi intentanda est actio.* Vitricus igitur Negotiorum Gestorum actione gaudet. *l. 34. ff. cit. tit.* Cum enim, ut supra prolixe *Cap. 2. th. 15.* deductum fuit, affectio quasi paterna impediat actionem Negotiorum Gestorum, ea omnino vitricus uti potest, si contrarium elucescat. conf. Salicet. *ad Leg. 15. n. 1.* Imo hoc easū quoque vitri-

vitricus exceptione sibi contra privignos consulere potest; cui enim damus actionem, eidem & exceptio-
nem competere, multo magis quis dixerit. *L. 156. §. 1. ff.*
d.R. J. l. 17. f. d. Evid. E diverfo hoc certi & indubitati
juris est, alimenta privignis ex affectu paterno suppe-
ditata condicione indebiti neutiquam repeti posse.
Conf. Philipp. *Vf. Praet. Inst. L. 3. Eccl. 92. j. §. f. Cap. II.*

XIV. Priusquam Dissertationi nostræ finem im- *In novercis*
ponamus, haud abs re fore putamus, ut quæstionem *quoque mater-*
instituamus, utrum Lex quoque nostra ad novercam *nus affectus*
applicari possit? Et nulli dubitamus in affirmativam *præsumitur.*
concedere sententiam. *a. l. 32. ff. Ad Leg. Aquil.* Quem-
admodum enim in vitrico paternus affectus præsumi-
tur, ita quoque noverca privignos materno affectu pro-
sequi censetur. *a. §. 6. §. 7. f. d. Nupt.* Berlich. *Tract. d.*
Jur. Noverc. Part. 2. art. 3. Sect. 12. n. 1031. §. 1036. Ipsæ le-
ges nostræ Civiles pietatem optimarum novercarum
laudibus efferunt. *j. l. 5. C. de Adopt.* *l. 31. §. 2. ff. d. Adim. vel*
Transfer. Leg. l. 5. C. ad Sct. Trebell. *l. 3. ff. d. Castr. Pe-*
cul. Ut exempla ex historiarum monumentis defumta
jam silentio prætereamus. Licet autem multis Nover-
carum fides suspecta sit, præcipue cum ipsæ leges No-
vercalium odiorum atque instigationum mentionem
faciant. *l. 4. ff. d. In offic. Testam. & Novercale odium pro-*
pemodum in proverbium transiverit. conf. Erasm. in
Colloq. p. 2. Ast vero absque justa causa odium male
meritarum Novercarum in innocentes atque benignas
Novercas derivatur, ut hic recte applicare liceat versus
Ovidii. *l. 3. d. Art. Amand.*

575

36 DE AFFECTV PATERNO VITRICI.

Parcite paucarum diffundere crimen in omnes.
Spedetur meritis quæque noverca suis.
Alias eodem jure quoque viricis dicam scribere licet,
ita ut ex hac ratione Caldas ad Tit. Cod. d. In integr.
Restit. n. 110. acerbissime in eosdem invehi religioni libi
non duxerit: Experientia, inquit, quotidie docet, viricos
plus quam Vatiniano prosequi odio privignos, eosque despici-
cere & negligere. Leges autem potius meliora tum de
vitricis, tum de novercis presumunt, cum haec quoque
alieno odio non sint prægravanda. L. 33. §. 1. C. d. In offic.
testam. Imo novercarum pietatem proprio noverca ex-
emplu inductus prædicat Mornac. ad nostr. Leg. 15. sub
fin. Forsan autem alio tempore propediem occasio
inquirendi suppeditabitur, quo usque Novercale odium
sit admittendum nec ne. Ut ne autem limites Differ-
entiationis excedere, & patientia Benevoli Lectoris abuti-
videamur, hic pedem figimus, & Supremo omnium re-
rum Arbitro atque Statori devotissimas grates persolvi-
mus, quod hactenus instituto nostro clementissime be-
nedixerit, votum nuncupantes, velut imposterum quo-
que omnes labores nostros ita dirigere, ut sanctissimi
sui Nominis gloria augeatur, & proximi emo-
lumentum promovea-
tur!

F I N I S.



ULB Halle
005 362 326

3







Pr. 29. num. 14. 2. II. 13.
17

DISSE^TATIONEM IURIDICAM
DE
AFFECTV PATERNO
VI TRICI
OCCASIONE LEG. XV. C. DE NEG. GEST.
CONSENSV
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
P R A E S I D E
D. IO. FRIDER. OLEARIO P.P.
PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI
SUBMITIT
A. & R.
JOANNES GOTTLIEB GLASER
N. P. C. SOR. LVS.
AD D. XVII. MAI. ANN. M DCC XVIII.
LIPSIAE
LITERIS IMMANVELIS TITHI.

